

coruscationes possunt fieri in aere; immò maiore horrore quam illa quæ fiunt per naturam, nam modica materia adaptata, scilicet ad quantitatem unius pollicis, sonum facit horribilem & coruscationem ostendit vehementem, & hoc fit multis modis; quibus civitas, aut exercitus destruat admodum artificij Gedeonis, qui lagunculis fractis, & lampadibus, igne exsiliante cum fragore inæstimabili, infinitum Midianitarum destruxit exercitum cum trecentis hominibus. Mira sunt hæc, si quis sciret uti ad plenum in debitâ quantitate & materia. De alio verò genere sunt multa miranda; quæ licet in mundo sensibilem utilitatem non habeant, habent tamen spectaculum ineffabile sapientiæ; & possunt applicari ad probationem omnium occultorum, quibus vulgus inexpertum contradicit: & sunt similia attractioni fieri per magnetem. Nam quis crederet huiusmodi attractioni nisi videret? Et multa miracula naturæ sunt in hac ferri attractione quæ non sciuntur à vulgo, sicut experientia docet sollicitum. Sed plura sunt hæc & maiora. Nam similiter per lapidem fit auri attractio, & argenti, & omnium metallorum. Item lapis currit ad \* acetum: & plantæ ad invicem, & partes animalium divisæ localiter, naturaliter concurrunt. Er posteaquam huiusmodi perspexi, nihil mihi difficile est ad credendum, quando bene considero, nec in divinis, sicut nec in humanis. Sed maiora his sunt: non tota potestas mathematicæ non potest nisi instrumentum Sphæricum iuxta artificium Ptolemæi in 8. Almagesti, in quo omnia quæ sunt in cœlo suis longitudinibus, & latitudinibus essent descripta veraciter: quod autem moverentur naturaliter motu diurno non est in mathematicâ potestate. Experimentator tamen fidelis & magnificus, ad hoc anhelat, ut ex tali materia fieret, & tali artificio, quòd naturaliter cœli motu diurno volveretur: quod fieri videtur possibile. quoniam multa motu cœlestium deferuntur, ut cometæ, & mare in fluxu, & alia in toto, vel in partibus suis, quod esset majus miraculum quam omnia prædicta, & maioris utilitatis quasi infinitæ. Nam tunc omnia instrumenta astronomiæ cessarent tam specialia quam vulgata: nec thesaurus unius regis vix posset huic comparari. Et licet non quantum ad miraculum, tantum quantum ad utilitatem publicam & privatam, maiora possunt fieri: scilicet ut auri copia & argenti deducatur in medium, quantum placet homini, non tamen secundum naturæ possibili-

*Vis magnetica*

*Plin. hist.  
lib. 36.  
cap. 20.*

*Aliter:  
acer vult.*

*Hum. factis.*